

## P R A E F A T I O

videtur; quod quidem intellexi non solum ex lectionum ipsarum bonitate, sed etiam ex obseruata dialecti eiusdem proprietate. Vbique enim γινώσκειν, γίνεσθαι scriptum habet, non γιγνώσκειν, γίγνεσθαι; quae posterior forma velut Atticis scriptoribus propria auctoritate veterum Grammaticorum in Aristophane vbique fuit restituta ab eruditissimo Brunckio. Verum ad has siue Grammaticorum siue Atticae dialecti leges formam orationis in Xenophonte hoc libello exigere non curauerat Zeunius; constantiam saltem non approbavit lectoribus; igitur eo minus in ea criticae operae parte laboraui, quoniam multa in praeceptis istis de dialecti Atticae formis dubia esse constat.

Diligentiam maiorem attuli ad argumenta capitum, a Zeunio apposita, augenda atque emendanda, quo dilucidior fieret totius disputationis a Xenophonte institutae et per multos locos diductae series et ordo. Deinde annotationes virorum doctorum eas, quae aut falsa aut vulgaria aut a Xenophonte plane aliena traderent, nec vllam lectoribus vtilitatem asserere possent, resecaui, quasdam in iustam breuitatem contraxi, multas Zeunii omisi, quo melius honori viri de Xenophontis emendatione atque interpretatione optime meriti consuleretur. Aliquot nouas eius siue annotationes siue emendationes ex exemplo libri mihi a librario suppeditato addidi. Praeterea personarum, quibuscum Socrates loquitur, aut quorum nomina ponuntur, notitiam breuem ex Platonis, Xenophontis aliorumque eiusdem aetatis scriptorum libris collectam singulis in locis apposui, rerumque etiam multarum, quae aut obiter nominantur aut diligentius tractantur, intellectum adiuuare annotationibus conatus sum. Indicem denique verborum graecorum non solum formulis dicendi et vocabulis aliquot locupletauit, sed passim etiam enucleauit atque emendaui. In qua tamen opera mihi ipse non potui satisfacere. Plane enim aliam formam animo quidem conceptam habebam, ad quam virorum doctorum studia dirigenda esse censeo, si verborum indices eiusmodi non solum lectorum  
inpri-